QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. IANVARII.
M. SEBASTIANO RAINSSANT, Doctore Medico Moderatore.

723.

An primùm erumpentibus in fœtu pilis prægnanti fastidia?

IN cerebro, corde & hepate elucent maximè tres humanæ œconomiæ rectrices facultates, animalis, vitalis & naturalis, quas ab illis in cæteras partes influere ne credito. Naturalis tres alias suo ambitu continet neutiquam inter se distinctas realiter, altricem, auctricem & procreatricem omnium nobilissimam, in solis testibus principibus corporis partibus (an cordi anteponendis?) conspicuam. In his semen nullâ agendi vi præditum conficitur, à quo, vt & menstruo sanguine, suam ducit originem humidum primigenium, quod licet fato sit obnoxium, quidni tamen melius & copiosius reparari possit? Vtriúsque sexus maris & fœminæ necessario coitu hominis generatio absoluitur. Absque illius concursu molam posse generari, ridiculum; fœtum perfectum, impium. Hanc monstrum dicere, philosopho indignum; amborum metamorphosim statuere, fabulosum. A dextris, in dextris, Aquilone flante, mares; à sinistris, in sinistris, Austro spirante, fœminę producuntur: & qui iuuenes θηλυγόνοι fuerint, ætate prouectiores ἀρρενογόνοι euadunt ὡς ἐπιτοπολὺ, & contrà.

VENVS auroræ magis amica quàm vespero: hyeme mari, æstate fœminæ, vtrique vere opportunior. Intempestiua immoderatáque mulieribus minùs noxia, in viris vires prosternit, frigidos morbos inuehit, citam mortem accelerat. At cor moderata exhilarat, calorem intendit, humorum saburram exhaurit, obstructa expedit. Hæc si non sit irrita (qualis iuuenculis senibus iunctis minùs esse solet) mulieri multorum cruciatuum est parens. Inter vmbilicum & femora dolores exoriuntur, torpens per omne corpus regnat segnities, dispersísque hinc & inde vaporibus, irruentibusque humoribus, pro partium quas impetunt, varietate, varia excitantur symptomata, καρηβαρίαι, ἀμβλυωπίαι, tusses aborsus sæpè præuiæ, cordis παλμὸς, nauseæ, vomitus, euchymorum ciborum fastidia, & cacochymorum deprauati appetitus, alienarúmque rerum, carbonum, testarum, cinerum, luti, calcis, &c. indoctæ naturæ, doctè tamen tunc sæpè agentis, prodigiosa desideria. Vt autem circa finem naturalis rerum motus solet esse vehementior, sic vbi, sub quartum ferè mensem, naturæ morbíque pugnantium imminent induciæ, ferociores sunt hostis impetus, eóque tempore prædictorum quàm plurima ingrauescunt.

PILI minimè siccissimi, nec vitali actione producti, nec corporis partibus annumerandi, alij sunt congeniti, adnascentes alij. Horum ἐκ γενετῆς priuatio, ἀγονίας indicium, quorum sequitur ab vsu venereorum incrementum; at illorum contrà effluuium, quod ex alimenti penuriâ ortum in capite caluitiem dicimus, spadonibus mulieribúsque raram, ἀγενείοις præcocem, soli homini notam, amplitudini humiditatíque cerebri ab Aristotele falsò adscriptam, à qua ad capillitium nullus regressus. Pilorum multitudine, paucitate, crassitie, tenuitate, colore, totius corporis temperamentum metiri, fallax. Paucos, tenues, rufos sæpè habet audax & animosa gens Scythica: multos, crassos, nigros, Indi molles: densos frigidi humidíque sexagenarij non pauci, quibus ordinaria ex pituitæ situ in album colorem mutatio, canities dicta; spadonibus, mulieribus rufísque, vt Germanis matura, homini minimè propria, apertos ventis capillos opertâ pube citiùs afficit.

ANIMA, vt primùm creata infusáque est, suum sibi architectatur domicilium, & partium omnium eodem tempore constructionem aggreditur, quarum tamen vltimam perfectionem pro conformationis difficultate & promptiori tardioríue materiæ affluxu, non nisi diuersis temporibus, assequitur. Atque vt singulæ partes conformatæ confirmatæque sunt, quod maribus tertio mense, fœmellis quarto ferè accidit, (apage vanam conformationis ad motum duplam, motus ad partum triplam proportionem) effulgescens natiuus calor fuliginosa excrementa ad caput protrudit, quæ mollior primùm fœtus cutis halitus specie in prægnantis corpus sinit elabi, mox tum eorumdem maiore appulsu, tum caloris incremento siccata retinet, donec copiosâ congestione magnóque impetu excussa viam sibi parent, quam dum moliuntur, in exilioribus spiramentis hærentia, assiduóque ab alijs superuenientibus protrusa, loríque formam tandem adepta, in pilos abeunt.

PARENTIBVS certo quodam naturæ decreto succedimus, non minùs morborum quàm possessionum hæredes, sed matris maximè, cuius vt in generatione diuturnior actio, sic & eius παθημάτων in fœtu altior impressio. Neque suos illi solùm affectus impertitur, sed & is eorum quæ dum gestat assumpserit, effectus percipit: si largiùs ea sale abusa fuerit, sine vnguibus in lucem prodit. Nec modò ab ea patitur, mutua est vtriusque sympathia, vtque sanus ac debilis fœtus, sic & mater: hinc fœminam quæ gerit, gerit autem sæpiùs quæ casu aut curâ adhibitâ concipit, languida, discolor; quæ marem, vegeta, coloratáque. Octimestris partus vt fœtui minimè vitalis, sic & matrem, si minùs ad Orcum agit præcipitem, at in maximum discrimen conjicit. A fuliginosis demùm excrementis ἀποσιτία, totius corporis languor, sensuum hebetudo: quid mirum? natiuum calorem cuíque parti insitum præcipuum animæ in obeundis functionibus instrumentum inficiunt, influentis fontem conspurcant.

Ergo primùm erumpentibus in fœtu pilis prægnanti fastidia. 169

Iz hanc partem [illegible] [illegible] qua habet in Stadio p. 68. Ubi pilos probat.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS REGNAVLT, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI:

M. Philibertus Morisset.
M. Iacobus Cornuty.
M. Carolus Guillemeau ord. Christianiss. Regis Medicus.

M. Franciscus Mallet.
M. Iacobus Iouuin.
M. Petrus Sauare.

M. Gabriel Harduinus de S. Iacques.
M. Michael de la Vigne.
M. Iacobus Perreau.